

Scilicet hoc, prisco patrum de more, puella
 Quum dulcem in templo sisteret Unigenam,
 Magnus terriloquo portendit carmine Vates.
 Hos matri luctus dixit: hic ille dolor,
 Hic gladius, mœsta adtonitus quem mente canebat
 Ora pio fletu cana tepefaciens.
 Vera, senex, nimium tua sunt oracla: parenti
 Trajicit en molles cura, dolorque finis,
 Illa quidem durum constanti mente laborem
 Perfert: nec flavam solvere cæsariem
 Conspecta est, tenuesve humeris abscindere amictus;
 Non fesso ad terram corpore semianimis
 Concidit, extremo gnatorum in funere matres
 Qualia mœstitiæ promere signa solent.
 Sed pallet, sed turgidulos non dejicit ægra
 Usquam oculos dulci a pignore; sed gemitus
 Interdum incepat, materni parva doloris
 Indicia, & luctus maxima pars penitus
 Obscuris animi penetralibus abdita gliscit,
 Curarumque intus millia multa latent.
 Quas inter medius residet, gnatique cruentam
 Effigiem in lævo sculpit Amor latere;
 Immanesque adigit procusa cuspide clavos,
 Texit & hirsutis spinea ferta rubis;
 Pingit purpureum, qui defluit inde, cruorem,
 Pingit quæque suis vulnera sæva locis,
 Liventesque notas flagrorum. Exemplar imago
 Jam retulit, jam se Filius, atque suas
 Materno cernit pœnas in corde, nitenti
 Ceu totum qui se conspicit in speculo,
 Atque suam agnoscit faciem, formamque habitumque,
 Et quæ sit species, qui sit in ore color:
 Quæ prius in pura crystallo cuncta figurant,
 Dein reduces oculis insinuant radii.